

7. Sekundärliteratur

Neue Quellen zu August Hermann Francke.

Nebe, August

Gütersloh, 1927

I. Ein Brief Franckes an seinen Oheim Dr. Gloxin aus dem Jahre 1688.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

I. Ein Brief Franckes an seinen Oheim Dr. Glorin aus dem Jahre 1688.

Gratiam et uberem Spiritus S. mensuram a Patre nostro
et Domino Jesu Christo!

Vir Magnifice ac Praenobilissime, Maecenas
et Avuncule Venerande!

5 Post ea, quae partim Luneburgi, partim hic in epistolam
ad Philippenses meditatus sum, jampridem missurus, et
perspicacissimo judicio Tuo, qui praecipius speciminum
nostrorum fructus est, subjecturus eram: duo tamen impri-
mis obstiterunt, quo minus vel adhuc promissa mea appare-
rent, vel nunc etiam benevolentissimae expectationi Tuae
satisficeret. Primo enim dum in verum dictionis graecae
sensem penitus inquirendum erat, perpetua dubitatio
distinebat animum graecis auctoribus nondum adeo innu-
tritum, ut fidem habere testimonio Lexicographorum posset,
10 solent enim non in scholis minus quam in Academiis neglegi
hodie vel certe obiter coli graecae linguae studia, ipso
veluti seculi fato in Hebraeam linguam Germanos, uti
superiori in graecam compellente. Hinc vel inviti quasi
torrente abripimur, et iis, quae plurimi sequuntur, studiis
15 impliciti sensim et ipsi imprudentes involvimus communi
studiosorum errori, textum graecum praferentium versioni,
at phrasium graecarum significationem ex ipsis quarum
fastidium prae se ferunt, versionibus haurientium. Nimirum
textus authentici intelligentiam graeci testamenti lectione

circumscribentes, non ¹² intelligunt se linguam copiosissimam
nimis angustis coarctare terminis, suamque scientiam
potissimum in suspectorum hominum resolvi auctoritatem,
qui hypothesi servientes ex errore vel opinione vocabulorum
significationem assumunt. Inter Lexicographos exemplo ⁵
esse potest Pasor ille, qui cum in omnium versetur mani-
bus p[re] caeteris aptus est, qui in errorem plures inducat
a praedestinationis absolutae hypothesi non satis sibi
caventes. Eo certe processit audacia, ut *πρόγνωσιν*, cuius
Paulus mentionem facit Rom. VIII, 29, per praedetermina-
tionem et praedestinationem explicare non erubescat.
Interpretes autem plane nulos sic excipere possumus. Nam
et ingenui bonique viri nec opinionum publicarum tenaces
qua orsi semel via sunt interpretationem, eam persequuntur,
et commissus semel vel in constructione, vel in phrasi, vel ¹⁵
in minima saltim particula lapsus pluribus subito vel
perspicacissimos involvit. Quare lector nisi alia et firmiora
habeat praesidia, quibus nitatur, quam lexica et versiones,
vel veris ac solidis fontium utilitatibus caret, vel perpetuis
et inexplicabilibus laborat dubiis. Optimum, fateor, non ²⁰
nullorum ad concordantias, quas vocant, indeque eruta loca
parallela perfugium est. Et est sane medium hoc herme-
neuticum tam insigne, ut eo carere cum in singularum
vocum tum in ipsarum rerum evolutione minime omnium
possimus. Verum si quis de lingua graeca indole ex solis ²⁵
Novi Testamenti concordantiis judicium ferre sibi sumat,
ita ut his consultis libere jam et quasi ex tribunal quodam
suam de periodi alicuius sensu sententiam pronunciet, pro-
fecto jaculum extra metu expedire velle non immerito nobis
videtur. Diligens variorum Auctorum ³ lectio optimae sunt ³⁰
concordantiae, imo solae quae nos certos reddere possunt
de eo quod idiotismum linguae vocamus. Id quod cum

plurimis rationibus plenissime persuasum haberem, a me
 ipso impetrare minime potui, ut diutius differrem serium
 graecismi studium, imprimis cum hoc tempore utilissime
 a me coli posse crederem, quo, applicato ad exegesin
 5 sacram animo, textum graecum assidue tractare tenerer,
 adeoque non ignarus essem, quae curiosius in scriptis
 graecis observari mereantur. Igitur dum hic sum, etsi
 primarium studium minime seposui, tamen non paucas
 graecae linguae horas insumsi, p^rae caeteris hactenus in
 10 legendo, relegendo, repetendoque Herodiano occupatus,
 illique nunc etiam adiungens Diogenem Laërtium de
 vitis Philosophorum, ad oratores et poëtas quoque non-
 nullos brevi facturus progressum, donec acrius explorata
 linguae indole non alienis sed meis fidere oculis auribusque
 15 possim. Hactenus profecto tantillae me operae minime
 poenituit, sed iis ipsis, quae partim in epistolam ad Philip-
 penses, partim ad alia loca in mentem venerant haud leve
 ex unius auctoris repetita lectione accessit pondus, aliaque
 de quibus antea non cogitaveram multo clarius atque
 20 intimius quam antea inspexi. Qua re adeo studium meum
 sentio excitari, ut nullus dubitem, quin gratia divina ad
 exoptatam praefixamque feliciter me perlatura sit metam.
 Neque vereor ne nimium instrumento tribuam temporis,
 cum nunquam mihi non ob oculos versetur princeps studi-
 25 orum meorum scopus, eoque se meo quasi conspectui
 subducente vel gratissimis in occupationibus gradum suspen-
 dere didicerim. Factum tamen exinde est, ut, quae chartae
 meae mandaveram, secundis reservare maluerim cogitationi-
 bus, quam praecipitanter et improvide ^{1*} censem tam extru-
 30 dere censuram, Tibique, Viro Sapienti et Docto, novaturiandi
 studio, a quo abhorret mens mea, fieri suspectus. Accessit
 autem altera quoque causa, quae et nunc dissuadet cuncta

Tibi exhibere. Cum enim, quantum nunc mihi cernere datur, puncta illa variaque distinctionis signa, quae in graecis auctoribus hodie comparent, coaeva textui graeco minime credere possim, et in eo dissensum reverear plerorumque nostratum theologorum, pro signorum accentu⁵ umque coaevitate acriter pugnantium, tutissimum credidi, observationes privatas recepta illa signa tamquam genuini sensus obstacula removentes abscondere, donec de novitate vel vetustate signorum penitus convictus, minus temere in nonnullis definire sententiam meam possem. Veritati enim,¹⁰ quamcunque in partem se mihi probet, victus dare manus minime gravabor, et ad stabilienda et ad dimittenda cogitata mea paratissimus, si conscientiae satisfiat. In eo autem nunc sum, ut quae in utramque partem afferri possunt argumenta, sedulo excutiam, prae caeteris dissertationem¹⁵ illam de novitate accentuum, quae superiori, ni fallor, anno in Belgio prodiit, in examen vocatus, utpote quae a Lipsiensibus Philologis assensum nullo negotio impetravit. Policeor eam mihi a nundinis Francofurtensibus vel certe Lipsiensibus. Hamburgensibus enim bibliopolis adhuc²⁰ ignotum nomen est. Hoc in argumento quae definiri posse videbuntur, quamprimum fieri poterit, una cum iis quae hypothesis confirmata admittet, judicio tuo de-¹⁵ vote summittam. Interea non ingratum Tibi, quae est bonitas Tua, futurum credidi, si nonnihil his quoque literis inferrem.¹⁵ Nimirum occasione versus quinti cap. I. Ep. ad Philip. in eam meditationem incidi, qua ratione tot voces graecae hebraicaeque in Veteri ac novo Testamento partim absque omni mutatione servatae, partim ad analogiam linguae vernaculae transformatae, specie magis quam reapse alia lingua donatae sint? Occurrit hic τὸ εὐαγγέλιον, ubi Lutherus Germanice: am Evangelio. Versu primo huius capititis

ἐπίσκοποι dicuntur in versione Bischöffe quae et ipsa non germanica sed graeca derivatione vox est, quam Germani vel plane non intelligunt, vel sensu alieno capiunt, finguntque in Veteri Ecclesia Episcopos, quales hodie eminentes dignitate Viros pluribusque ecclesiis particularibus praepositos hoc nomine appellari audiunt. Tum autem temporis diversa illa functionum ecclesiasticarum nomina non ambitio seculi et inanis titulorum pruritus sed necessitas temporis et circumspectus Apostolorum zelus invenerat, ideoque plures in una Ecclesia erant Episcopi, h. e. inspectores et vocabulo germanico: *Außseher*, Cum igitur vicina vox: *διακόνος*, voce vera germanica expressa sit, denen dienern, etiamsi nomen officii, quod hodie gerunt diaconi potuisset retineri, cur non vocabulum *ἐπίσκοπος* ita translatum est ut a Germanis intelligatur? Ita Gal. IV, 14 Pauli verba: ὡς ἄγγελον θεοῦ ἐθέξασθέ με: germanice reddit: Ihr nahmt mich auff als einen Engel Gottes. Ubi certe τὸ ἄγγελον translatum non est. Nam ἄγγελος angelus, Engel est una eademque vox una alteraque litera saltem ad diversarum linguarum analogiam conformata. Quodsi vero usum vocis non tantum in aliis Auctoribus sed et in ipso Novo Testamento (e. g. Luc. VII, 24) animadvertisamus |⁶ videmus Graecis ἄγγέλους esse, qui Latinis nuntii, Germanis Boten, Gesandten. Cur non igitur acquiescere poteramus in *¶* usitatissima significatione, verba ita vertendo: Ihr nahmet mich auff als einen Boten (Gesandten) Gottes; als welches auch Paulus in der Tat war. Plura singulis fere paginis occurunt, quae, si fateri volumus quod res est, vel plane non, vel male intelligit Lector illiteratus. In eo numero sunt Hallelujah, Amen, Hosanna, Dominus Zebaoth, et aliae voces graecae hebraicaeque originis, quas versio Bibliorum germanica communes habet cum cantionibus et precationibus germanicis, ubi

etiam plures occurrumt intellectu non minus difficiles. Plane autem haec videntur *λειψανα* esse fermenti Pontificii, quae prudenter, moderate ac successu temporis aboleri et deberent et tuto etiam possent. Quae affirmare non dubitavi, paucis probare satagam. Ut autem rem ab origine sua quoad eius fieri potuerit, repetam, facile cuivis constare crediderim, Pontifices in id semper incubuisse sedulo, ut cultus Dei perageretur lingua peregrina, latina nimirum, quam Regno Papistico quasi maternam capiebant. Iam inde autem ex illo tempore vocabula illa graeca ¹⁵ hebraicaque in precibus et cantionibus latinis fuisse recepta, testari possunt, quibus antiquitus utuntur, libelli cultui publico privatoque destinati. Illa barbaries papatus adeo invaluerat, ut, qui insaniam deplorabant, illi mederi non nisi paulatim et successu temporis possent. Inter quos Petrus ¹⁵ Dresdensis aliique (quorum institutum peculiari dissertatione prosecutus est Jacobus Thomasius:) qui singulari Pontificis indultu cantiones semi-latinas componebant, ut aliqua saltim ratione misellae plebi sensum eorum, quae in ore quotidie ¹⁷ habebant, proderent. Unde cantiones eiusmodi in libellis ²⁰ nostris etiamnum cernuntur, e. g. In dulci Jubilo, nun singet und seηd froh etc. Puer natus in Bethlehem, Bethlehem, Unde gaudet Jerusalem, Halle, Hallelujah. Ein Kind gebohren zu Betlehem, zu Betlehem, des freude sich Jerusalem, Halle, Hallelujah etc. Tam depravatis igitur temporibus ²⁵ nemo mirari poterit irrepsisse etiam in vulgarem sermonem terminos illos in cantionibus precibusque frequentius occurrentes, et de illorum sono potius quam de sensu solicitam fuisse plebem cultui externo et orali assuetam. Imo mirum non est in haec incidentem Lutherum consuetudini non ³⁰ potuisse non aliquantum largiri, et reliqua vocabula cum graeca tum hebraica retinere, utpote quae in usu jam

posita et omnium ore, etsi non mente, pervulgata essent, non aliter ac vocabulum *χριστὸς*, quod, cum ipsimet scriptores ex Hebraico מָשִׁיחַ in linguam graecam translulerint, eo ipso declarantes posse in alias quoque linguas, 5 ut intelligatur ab expertibus linguae graecae hebraicaeque libere converti: tamen retinere satius duxit, ne infirmi offenderentur, vocabulo translato rem ipsam perverti existimantes, ne in his aliisque verbis potius quam rebus intentus videretur, ne novaturiendi studio cuiquam suspectus 10 esset, denique ne ipsa illa verborum novitate ab ipsarum rerum consideratione flagrantes jam odio Pontificii cultus hominum animos temere avocaret. Corruptelis autem universis tanto seculorum tractu in Ecclesiam invectis mederi nec simul potuit Lutherus nec fortassis consultum 15 duxit, earum curam prudenti posterorum zelo relicturus. Accedit aliorum interpretum culpa, quos ut in multis aliis ita in hoc quoque secutus videtur Lutherus, tem- 18 pori inserviens et plurimorum infirmitati. Quid? quod ipsimet illi interpretes fortassis non immerito dici possunt primi, qui 20 occasionem dederint vocabula illa et formulas e textu graeco hebraicoque in precibus publicis retinendi. Caeterum in bona versione non tolerandas esse dictiones peregrinas cum multa alia tum res ipsa et scopus interpretis facile evincunt. Est enim finis interpretis intelligi. Non vult 25 autem intelligi, qui ignotum vocabulum non explicat. Remittit potius ad alium interpretem qui lectori apperiat vocabuli sensum, antequam ad totius orationis intelligentiam perveniat. Itaque lectorem ludit, laborem multiplicat, ac temere parit taedium, cum una opera et unica vice praestare 30 posset, quod alias inculcandum est saepius, ac toties totiesque inculcatum aegre intelligitur, idque in iis vocibus quae si in linguam vernaculam converterentur, vix visae

auditaeque a quovis nullo negotio perciperentur. Sit exempli loco summa concionum Christi, quam Marcus I, 15 hanc fuisse ait: ὅτι πεπλήρωται ὁ καιρὸς καὶ ἀγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ· μετανοεῖτε καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. Haec si conjunctim perpendantur verba sensus evidentissime 5 exprimi hac ratione posse videtur: Die Zeit ist erfüllt und das Reich Gottes ist herbeigekommen, thut Buße und gläubet derselben angenehmen Verkündigung, nemlich daß das Reich Gottes nahe herbei komme, und die Zeit nunmehr erfüllt sei. Sensum tam perspicuum et manifestum quis non assequitur? Contra fac periculum, propone verba uti se habent in versione nostra germanica: thut Buße und gläubet an das Evangelium. Nova enarratione opus erit, ut pateat quid hoc rei sit, in quo credendum, quae summa sit illius evangelii, quae ratio? Non tantum autem 10 supersedere potest 15 ramus novo interpretandi labore, sed cavere etiam ne a vero sensu lector facile deflecteret. Id quod saepissime profecto contingit, ubi rebus quibus efferri lingua vernacula commode poterant, peregrina nomina tamquam propria temere tribuuntur. Ipsum illud Evangelii vocabulum in tanta Evangelii luce, quam prae se fert ecclesia nostra, quotusquisque eo quo debet sensu accipit? Vix centesimus, si examen instituendum fuerit, recte respondebit. Plurimi pericopas Evangelistarum diebus dominicis explicari solitas hac appellatione credent indigitari, adeoque ultra sexaginta numerabunt Evangelia, cum unicum nobis sufficiat. Neque adeo mirum est, si multis etiamnum eveniret, certe illiteratis, quod Lutherum viso N. Testamento dixisse accepimus, se librum invenisse in quo plura Evangelia continerentur quam in eo quem a Patre acceperit. Quid? quod ipsimet Ecclesiae ministri talibus interdum abutantur vocabulis, uti facile animadvertisse poterit, lectionibus, quae vocantur,

epistolicis diebus dominicis a meridie explicari solitis annumerari sub eodem nomine textus e scriptis Propheticis depromptos. Hinc deinde in alios abusus facillimus lapsus est, adeo ut in puerorum lusibus et ineptis imperitorum hominum sermonibus frequentiores proh dolor! sint eiusmodi termini peregrini, quam in sacratissimis conventibus. Inde historiolae profanae, proverbia blesphema, dicteria nefanda, execrationes horrendae, quibus infirmi cebrius offenduntur, confirmati ad pium zelum merito provocantur.

¶ Caveri autem tanta mala magnam partem potuissent si abstineremus in precibus cantionibusque a terminis illis, et in ipsa Bibliorum versione substitueremus vernaculos. Annon minori negotio in versione exprimi potuisset, [¶] 10 quod nunc ad singula loca ubi τὸ εὐαγγέλιον occurrit, ingerendum est: Evangelium heißt eine gute Botschaft; vel uti nunc loqui solemus, eine gute, fröhliche, oder angenehme Verkündigung? Minime obstat quod doctrina Novi Testamenti de Christo Redemptore καὶ ἐξοχὴν dicatur εὐαγγέλιον e. g. Rom. I, 15, 16. So viel an mir ist bin ich geneigt auch euch zu Rom das Evangelium zu predigen. Denn ich schäme mich des Evangelii von Christo nicht. Denn es ist eine Kraft Gottes. Non video sane quid incommodisuboriri possit e germanica vocabulorum expressione. So viel an mir ist, bin ich geneigt auch euch zu Rom eine gute Botschaft zu bringen (εὐαγγελίζεσθαι) oder die gute und angenehme Verkündigung zu thun. Denn ich schäme mich der guten Botschaft von Christo, der guten und angenehmen Verkündigung Christi nicht, denn dieselbe ist eine Kraft Gottes. Certe si doctrina Christi graecis καὶ καὶ ἐξοχὴν dici potest εὐαγγέλιον, germanis etiam καὶ ἐξοχὴν dici potest eine gute Verkündigung. Ita Rom. XVI. v. 25 (quamquam observante Knatchballio, docto Anglo, in animadversionibus in N. Testamentum sic versus ob rationes satis solidas una

cum reliquis a capite XIV male abscissus, et ad finem huius epistolae perperam rejectus videatur) „dem aber der mich starken kan laut meines Evangelii und predigt von Jesu Christo. Ita 2. Thess. II, 13, 14 in der Heiligung des Geistes und im Glauben der Wahrheit. Darinnen er euch berufen hat durch unser Evangelium, clarius foret: Durch unsere fröhliche Verkündigung. Est profecto ab omni naturae alienum, ubi tanti laboris est rem ipsam scitu summe necessariam hominum mentibus inculcare, ibi voces addere peregrinas quibus vel explicandis bonas horas insumere tenentur Ecclesiae ministri, vel non explicatis multa sine fructu dicuntur, imprimis cum naturalis homo ultro [11] feratur in externum rerum corticem et literalem, quem intellectu comprehendat, verborum sensum, a quo quo magis revocari potest ad intimiores amoris divini sensus, et ad beatam illam αἰσθησιν, quam Apostolus Philippensibus suis vovet, eo felicius ad veram solidamque pietatem gressum promovebit. Hinc magna difficultas accedit institutionibus catecheticis, et non mediocre dissentibus rerum jucundissimarum orationumque fastidium sine necessitate creatur, ac docentes dum explicandis vocabulis animum intendunt, rem vel negligunt vel oscitanter tradunt teste experientia. Debebant autem docentes secum reputare multum referre semper an aliquis linguae non omnino imperitus vocabulum aliquod peregrinum audiat, illi enim peregrinum amplius non est, an vero is qui vocem exoteriam memoria comprehendere debet, linguae illius penitus sit expers. Hinc enim triplex in qualibet voce labor exudandus est, ut primo recte pronunciet, deinde memoriae infigat, ac demum per adjectam prolixiorum explicationem verum sensum percipiat. Mirum proinde non est indoctis plerumque eam sedere opinionem, doctos multo se aptiores esse ad negotium salutis recte perficien-

ct

Lca

dum, cum in recitandis terminis ignotis, quorum pleniorum cognitionem sibi docti reservant, magnam pietatis reponant partem. In his profecto ignorantiae excusationem quam paratissimam habent, non omnino injustam crediderim.

5 Cum autem salus aeterna omnes in universum homines concernat, nefas sane est ut quod maxime, in ea propnenda a communi loquendi consuetudine, quae sola universorum captui aequa conformis est, recedere, iis maximum onus imponere, qui minimi sunt ferendo, et denique ¹² ori molestum esse, ubi pectoris et animi praecipua erat natio. Atque hae aliaeque rationes satis ostendunt, vocabula omnia lingua cuilibet genti vernacula ita propnenda esse, ut in eorum sensu quam fieri potest celerrime auditor vel lector acquiescat. Dixi autem: prudenter,

15 moderate, ac successu temporis aboleri tuto posse eiusmodi corruptelas. Nam ubi a scando periculum est, charitatis est abstinere ab omni mutatione. Et possent facile nonnulla nominari, quae si quis, etsi sobrie translata tamen proponere auderet, aliorum ludibrio aliorum offensioni exponeret. In ^v genere autem scandalum non est ab ignorantia et superstitione hominum animos revocare, et rerum ac genuinum dictionibus sensum vindicare, quem imperiti quivis et illiterati assequi possint, si εὐκαιρίως fiat. Ubi certe scandali metum minime prae se fert, si aboleatur id, quod ¹⁶ retentum omnibus offensioni erat, modo id fiat, uti dictum est, prudenter ac moderate, sine affectatione ulla, non praecipitanter, sed temporis successu. Neque desperandum est de grammatica ut sic dicam, possibilitate: τὸ Amen ne sine sensu a plurimis preferretur, opus fuit in ¹⁷ catechismo singulari quaestione qui intelligamus per voculam Amen? Poteramus supersedere hac quaestione, si voculam ipsam germanice Germani efferremus, es γειθεη̄ also, sicut ^(id)

gallice Galli: Ainsi soit il! Cur non pro Hallelujah dicitur: Lobet den Herrn? Cur non pro Kyrieleison dicitur: Herr Erbarme Dich? Deus non delecta- |¹³ tur varietate soni et ridicula illa sine intimis sensibus oris eformatione; corda introspicit, pectora penetrat, rimatur, scrutatur. Idololatra est qui mente non colit summum illud et sapientissimum numen. Nobis dictum putemus, quod Corinthiis Paulus: ἐὰν ἀδηλον φωνὴν σάλπιγξ δῷ, τίς παρασκευάσεται εἰς πόλεμον; Οὕτω καὶ ὑμεῖς διὰ τῆς γλώσσης, ἐὰν μὴ εὑσημον λόγον δῶτε, πῶς γνωσθήσεται τὸ λαλούμενον; ἔσεσθε γὰρ εἰς ἀέρα λαλοῦντες. Sed quis haec removere vela ausit, nisi Deus ipse manus admoverit? Quis dispellat crepusculi tenebras antequam dies oriatur? Expectemus suspensis animis solis ortum, cuius qui sistere potuit, Dominus accelerare cursum poterit, si in vera fidei πληροφωρίᾳ quotidianus coram facie potentissimi ac benignissimi numinis preces effundamus, suspiria ingeminemus, lachrymas multiplicemus. Interea non me poenitebit huic meditationi aliquantum esse immoratum. Querulus dolor est eo magis, quo minus medelam sperat. Jis qui aegrotantis lectulo assident amarius plorantibus, medicus sollicitius vim morbi explorat, et remedia acriora et salubriora adhibet. Mihi profecto ille inter gravissimos Ecclesiae nostrae morbos numerandus videtur. Quae preces, qui hymni, (ne de plane latinis dicam), quae oratio sacra, quis cultus Dei publicus, quae intitutio privata, quis catechismus, quin huius morbi contagio infectus sit? Sed praestat forte obligare vulnus. Mihi satis erit prodiisse tenus, quia non datur ultra.

A Te vere, Vir Magnifice, veniam facile impetrabo, quod in ejusmodi re prolixior fuerim quam Tu me multo acieris jampridem perspectam cognitamque habuisti. Declarasti enim |¹⁴ et coram et per literas, ut plenissimam

experiremur indulgentiam Tuam, non ingratos Tibi fore quoscumque studiorum nostrorum proventus. Quare et imposterum audebimus hoc quoque nomine Tibi obligari. Quas nuper literis meis inclusas ad matrem et ad mercatores Lipsiensem destinaveras, recte curavi. Vigiliis Paschalibus Schwartzius, Pictor, novem imperiales a Te acceptos bona fide mihi solvit. Preces et obsequium devotissimum beneficiis Tuis omnibus refundere numquam desinam. His Tibi, qua es benignitate, satisfieri permittes, **10** dum referre gratiam parem nequeo. Dominus M. ab Hardt d. 7. Aprilis Gustrovium profectus suo me redditu nondum exhilaravit. Si Deus me orbare pretioso hoc gratiae suae pignore voluerit, dolebo non immerito. Interim nihil est, quod incrementis gloriae divinae p^raeferam. Fiat non **15** nostra, sed Domini voluntas. Tu vero, Avuncule Venerande, non nobis tantum, sed Tibi quoque, Tuae familiae, imo orbi Christiano Vale quam diutissime sospes atque incolumis, novisque in dies fulturis ecclesiam in virtute Domini sustine.

20 Dat. Hamb.

d. 27. Apr. 1688

Tuae Magnificentiae

Observatissimus Cliens et nepos

M. Augustus Hermannus Franckius.